



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

Etenim si is qui per angelos dictus fuerat sermo.

EX prædictis sic argumentatur: Si lex, quæ per angelos data est, sicut & Stephanus dicit. Acto-
rũ 7. non potuit contemni sine ultione dei: multo mi-
nus ultionem dei euadet, qui contempserit uerbum no-
bis missum per filium, cui ne angeli quidem conferri
possunt, &c. Id quod sic & ipse Moses uerbis dei de
Christo prædixit, Deut. 18. Qui uerba eius, quæ lo-
quitur in nomine meo audire noluerit, ego ultor exi-
stam. Ad quod Christus uidetur respexisse, cū dixit in
Ioãne: Est qui accusat uos Moses, in quo speratis, &c.

Ne quando perfluamus,

Scilicet non ualentes retinere uerba uita, per filium
nobis missa: uel diffuamus, uacillantes nunc huc nunc
illuc, moti omni uento doctrina, ad Ephe. 4.

Ab his qui audierant, in nos. &c.

Significat author se didicisse euangeliũ ab alijs præ-
dicantibus, & miracula facientibus: ut supra diximus,
&c. spiritus sancti distributionibus, &c. 1. Corin. 12.
Diuidens singulis prout uult.

Non enim angelis subiecit.

Alia probatione ostendit Christum longe superiore

angelis. Christum inquam etiam secundum humanitatem, ex psalmo 8. Ex quo loco simul occupat, quod ab Hebraeis obijci potuisset. Nos eum uidimus despectū, & nouissimum uirorum, &c. Esa. 53. Hoc, inquit, ad breue tempus passionis erat propter nos, &c. Nam mox gloria & honore coronatus est, & constitutus super omnia, &c.

Orbem terræ futurum.

Significat regnum Christi, quod prædicabatur futurum, longe dignius omnibus mundi regnis: sicut Esa. eum uocat patrem futuri seculi. Et cum regnū Christi sit spirituale, omnes creaturæ Christo, & his q̄ sunt in Christo, subiectæ sunt in spiritu. Omnes enim nobis in salutem seruiunt, etiam oues, boues, pisces: præterea mors, peccatum, & inferi. Quod uero nondum uides omnia Christo, subiecta, causa est, quia hæc à carne nō uidentur, quæ pertinent ad regnum Christi spirituale, quod consistit in fide & spe. Expecta uidebis, quando pater ponet inimicos Christi omnes sub pedes eius.

Fecisti eum paululo inferiore.

Hoc, paululo, refertur ad tempus passionis, aut si mauis, ad tempus mortalitatis Christi. Item lege 1. ad Corinth. 15.

Decebat enim eū propter quæ sunt omnia:

ANNOT. IOANNIS POMERANI

Hoc est, quod Christus dixit: Oportebat Christum pati, & resurgere, & ita intrare in gloriam suam: nõ solum quia hoc scriptura prædixerat, sed etiam quia aliter nobis similis fieri non potuit, quem scriptura uocat fratrem nostrum, in quo præcellimus angelis. Ex quo sequitur, rursus abolita esse, quæ per angelos tradita sunt: & tantum abesse, ut angeli uel prophete præferantur Christo: ut etiam homines mortales, qui sunt in Christo, habeant quo glorientur super angelos, &c. Decebat eum, scilicet deum patrem: propter quem sunt omnia, id est, qui sola bonitate sua condidit omnia, non habens aliam causam. Et per quem sunt omnia, quia sine eo non essent. Intellige hæc de deo dici patre & filio & spiritu sancto. Namq; quæ de Christo dicuntur, de eius humanitate dicuntur. Decebat inquam eum, ut qui multos filios: id est, credentes in gloriam adduxerat, scilicet olim & post usq; ad finem mundi secundum prædestinationem, adduxerat uero per ignominiam mundi, & non alia uia. Quid queso decebat eum? nempe ut non alia uia glorificaret principem & ducem eorum Christum, quandoquidem qui suo sanguine sanctificat credentes, & qui credentes sanctificantur, sunt omnes ex uno scilicet Adam: carnis et sanguinis secundum corpus simul participes sunt. *frater* ergo pater noster est Christus.

Vt per mortem aboleret eum, qui
mortis.

Vide hic libertatē Christianam, abrogata per Christum lege, sub qua metu mortis seruiebatur, & tamē incertae manebant conscientiae, quia nunquam legi satisfacere potuerunt. Timebant ergo non solum mortem corporis, sed etiam aeternam, sicut experti sumus & nos, quando uolumus stulte per opera iustificari, hoc est, quod Petrus ait in Actis: Onus legis, neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus. Coniungit uero mortis imperium, & imperium legis. Nam ut dicitur 1. ad Corin. 15. Stimulus mortis peccatum est, uirtus uero peccati lex. De abrogatione legis scribit Paulus ad Ephesios 2. Et alibi saepe. Vide locos Philippi. Item Ioannis 12. Nunc iudicium est mundi.

Semen Abrahæ assumit

Scilicet quando uult cum creatura eadem natura uniri &c. ut misericors, &c: id est, ut experientia doctus fideliter curaret suum pontificium apud patrem pro nostris infirmitatibus, & peccatis, & tentationibus. Sed de his in sequentibus, plura uide cap. 8.

CAPVT III.

Consyderate apostolum, & pontificem confessionis.

Cvm itaque certum sit Christum in carne nobis missum, ut esset noster apostolus, doctor, & pontifex, inter deum & hominem mediator,